

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1315

1873

H O M I L E T I C I .

1874

minica prima aduentus domini. Initium est: *Erunt signa in sole et luna et stellis &c. Luce 21.* Quamuis ihesus christus in morte cuiuslibet singulare iudicium secundum merita et demerita iuste exerceat. tamen quia tale iudicium nobis est occultum. et quo ad penam et quod ad gloriam imperfectum. et etiam solum respectu hominum et non demonum. ideo necesse est uniuersale iudicium omnium similiter viuorum et mortuorum in fine mundi esse futurum. Quaevis Postilla in plures Partes literales primum, dein morales abit, quaevis Pars divisionibus scatet. Ita v. g. Postilla III. Humilitas est boni conservatiua. Sui uilificatiua. A malo preseruatiua. In Johanne Baptista commendatur Diuine gratie conseruacio ex testimonii ueritate. Humane sufficientie uilificatio ex nominis proprietate. A mentis turbacione preseruacio ex obprobrij humilitate. &c. Ita similiter desinentia seabantur sacri illi Oratores ad res ope rhythmi memoriae firmius imprimendas. Locis PP. saepe utitur Noster, de temporis vero sui moribus vix quidquam adfert. Ultima Postilla est in Dom. XXIV. post Pentec. et finit: *si vultis penas eternas evadere et ad celestem patriam feliciter peruenire. quod nobis prestare dignetur &c.* Paullo plus de hoc Homileta dixi,

quod eum typis nunquam vulgatum putem. Codices aliquot mss. indicat Mazzuchellius Scritt. d' Ital. T. I. p. 13. fuit enim cognomine Noster Abati seu de Abbatibus, aut Alvatus. Waddingus in Scriptt. O. M. ei etiam Quadragesimale tribuit, nihil tamen de illius aevo, quod teste Codice nostro saltem Seculum XIV. fuit. Popularis erat duorum Aestivarum Ordinis sui, neque cum illis confundendus. Habes illos apud Waddingum, Mazzuchellum, etiam Fabricium.

DCCLXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3094 XIV. Folior. 112. 4. nitide exaratus et minio distinctus hac rubrica est: *Incipit opus fratris Sibotonis de sanctis per totum annum.* Videlicet a Festo D. Andreae Ap. usque ad Festum D. Caeciliae V. et M. Sermones vel potius Sermonum primae Lineae de quovis Festo sunt 2 — 5. Initium hujusmodi: *Ligauerunt Achior ad arborem manibus ac pedibus ac uim eum de restibus dimiserunt.* Judith VI. In huius superficie historie quatuor uerba occurunt ad honorem beati Andree pertinentia. que sunt digna laude. que sunt causa passionis. sanctitas uite. genus mortis. consummatio felix &c. Ad calcem:

Finito libro sit laus et gloria christo.
Viuat qui scripsit. Viuat qui scribere iussit.

Fol.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1315

1875

C O D I C E S

1876

Fol. 99. sequuntur ejusdem rationis, sed breviores Sermones in totius Anni Dominicas initio capto a *Dominica I. in aduentu domini*, quod sic habet: *Cum appropinquaret dominus ierusalem. Matb. XXI. Quinque notantur circa aduentum domini in carne. Primo causa motuia ad incarnandum. seu misericordia eius &c. Sub finem additur Adumbratio Sermonis de vera Sapientia, usui fortasse futura in Festo SS. Benedicti et Bernhardi, quorum nomina memorantur. Nullus dubito, hanc quoque Congeriem pertinere ad Sibotonem, cuius alii duo Tractatus ignoti hoc pariter Vol. indicantur. Bibliothecarii O. P. qui T. I. p. 475. solum ejus Tractatum in *Orationem Dominicam* prodiderunt, addunt: *Utinam Viennenses nostri quid certius aliquando prodat. Et en, si non nostri, saltem Viennenses, et si non certius, saltem plus.**

DCCLXXXII.

R. 3123. Codex membraneus germ. lat. Sec. XIV. Folior. 86. 4. primum lineis longis, dein per duas columnas exaratus, nitidus, rubro distinctus, et olim Monasterii Sancte Dorothée virginis in vienna inscribitur: *Incipit Jacobinus de tempore, Operisque hujus Indicem alphabeticum praefixum habet. Verum inter hunc et Opus ipsum intercedit Expositio germanica Decalogi in hunc modum: Die zehn gebot die got selber gab*

moysi geschriben mit goetes vingern an zwain staynen taueln die scholt du merchen an disem brief. Das erst gebot ist das. Non habebis deos alienos coram me. du scholt nicht haben vremd gother newen mier. daz ist als vil gesprochen. du scholt chaynen andern got haben dan mich. chainen got anbeten den mich. an ebainen andern got gelouben den an mich. chain dinch liber haben den mich. chain vnrechten gelauben haben von mir. Wider das gebot funden (peccant) subenlay leut. &c. Ita ad quodvis Praeceptum recensentur septem Modi, quibus illud violari potest, et demum concluditur: Alle dis rede von den czeben geboten als si geschriben sint hat bruder iohannes von der ybla gelesen vnd erclaubt (collegit, Klauben) auf der hailigen schrift vnd bi czu einander bracht. Nescio, cui Sodalitio Fratrem hunc Jobannem de Iglavia, seu Ericino Moraviae contribuam

Fol. mox 6. sequitur dictus Jacobinus, seu Paradigmata Sermonum in Epistolas et Evangelia de Tempore ab Adventu usque ad Dom. XV. post Pentec. ita tamen, ut praecedat Materia De gaudijs celorum; hoc initio: Celorum gaudia sub epilogo numeremus. non quidem singula generum. sed genera singulorum &c. Jacobinum Scriptorem homileticum nemo meorum prodit. Quid si, quae coram habemus, Paradigmata e Sermonibus Jacobi de Voragine carpta sint, et ideo Jacobinus, velut